



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

2.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

lex parem obligandi potestatem obtinēs,
 sicuti idem *Isidorus* definivit. *Consuetudo est*
jus quoddam moribus institutum, quod pro lege
suscipitur cum lex deficit. Et *Jureconsultus*
 L. 32. ff. *inveterata consuetudo pro lege non im-*
merito custoditur, & hoc est jus, quod dicitur
moribus institutum. Porro consuetudo ju-
 ris ortum suum, & constitutionem suam
 accipit, à consuetudine facti: quæ aliud
 non est, quàm mos populi seu actus pub-
 licitus frequentatus.

2. Neq; tamen ex omni populi more,
 consuetudine seu actuum frequentia li-
 bera, jus oritur: sed in primis requiritur,
 ut mos ille rationalis sit & Reipub: uti-
 lis; fidei ac Religioni congruens: deinde
 ut non fiat ex legis antecedentis obliga-
 tione, cum potius tendat ad novi juris in-
 troductionem. Atq; hoc est, quod *Isid:*
 ait, *jus ex moribus populi ortum pro lege*
suscipi cum lex deficit. Igitur ad jus consue-
 tudinarium sive inducendum sive abro-
 gandum *Greg: IX. Pontif: Max: cap: cum*
tanto de consuet: duas conditiones exigit,
 nempe ut consuetudo sit rationalis &
 legitime præscripta: quarum cum DD.
 varia

varia

varia sit explicatio, iis omissis; asserimus breviter, eam consuetudinem esse rationabilem, quæ justæ legis condiciones includit, colligitur ex *Alexand: S. Pont. in Concil: Lateran:* id est, quæ non modo ex objecto justa & honesta est, sed etiam ratione adjuncta facilis, Reipub: utilis, Ecclesiasticæ libertati, & disciplinæ non contraria, à Sacris Canonibus tanquam irrationabilis & Ecclesiæ pernitiōsa non damnata, nec reprobata est. *L. 3. C. quæ sit longa consuetudo.* Nam cum consuetudo in locum legis succedat, æquum est eiusdem conditionibus eam honestari.

3. Cæterum, ut rationabilis consuetudo vim legis obtineat, præter supra dictas condiciones necessarium est. I. à majori saltem populi parte usu receptam esse, quod enim à majori parte efficitur ab omnibus effici censetur. *L. quod major 19. ff. de legib: ad municip: 2.* ut actus sint notorii non quidem notoreitate juris in iudicio contradictorio, quâ parte contradicente iudicatum sit per Iudicis sententiam, consuetudinem inductam esse: sed notoreitate facti, quâ palàm in conspectu populi constet, sic